



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quamdiu & vbi regnabit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

prudentiā quæsitam. Prima quidem gratia omnibus non quarentibus datur, sed qui prima videntur, incrementum inueniunt. Hac de Theolog. in 3. senten. distinctio. 3. & in 3. pagin. quæstio. 37. disputare solent. Non esse nugam ut Bez a putat, Mariæ merita agnosce-re, iam olim docuit Augustinus de bono coniugali, cap. 25. *Excepti igitur, ait, quibusdam illis coniugatis, patribus & matribus sanctis, quibus ideo isti meliores non sunt, quamuis coniugati non sint, quia si coniugati essent, pares non essent; ceteros omnino huius temporis coniugatos, vel post ex-pertum concubitum continentes à se superari non dubitent, non quantum ab Anna, Susanna, sed quantum amba à Maria superantur. Quod ad ipsam pertinet sanctam carnis integritatem, loquor. Nam quæ alia sint Mariæ merita quæ ignoret?*

Magna igitur Mariæ merita, quibus per gratiam ef-ficacem aliam inuenit, & omnium hominum perfe-ctiorem superauit.

VERSUS 31.

*Ecce concipies in utero, & paries fi-
lium, & vocabis nomen eius Ie-
sum.*

QVÆSTIO I.

Qualis filius Mariæ?

*Christus
magnus re-
spectu om-
nium filio-
rum Dei,
qui omniū
caput.*

§. 1. **M**agnus alia magnitudine quam Baptista, *ut cuius magnitudinis non sit finis.*

Quisque in suo ordine magnus, & beatorum ne-mo non magnus, quia maior omnibus Regibus Re-gum. Absolute igitur magnus, ut de quo dictum sit: Magnus Dominus & laudabilis nimis.

Non probo quod Enthymius perpendit verba. *E-rit magnus*, & de opinione apud homines intelligit. Nam ea ipsa dicebat eum iam esse magnum. Deum scilicet. De persona enim composita, seu Deo homi-ne, filio Virginis, hoc est accipiendum, qui ante con-ceptionem non erat Deus homo.

Magnum autem eo modo quo solent Reges, ut o-stendat non eo modo magnum quo cæteri filii à Deo adoptati magni sunt, sed omnium magnorum Domi-num & Regem esse.

VERSUS 32.

*Hic erit magnus, & Filius altissimi
vocabitur, & dabit illi Dominus
Deus sedem David Patris eius:
& regnabit in domo Iacob in æter-
num.*

33. *Et regni eius non erit finis.*

QVÆSTIO I.

*Cur dicitur accepturus regnum Da-
uidis?*

*Christus
temporale
regnum
Davidis*

§. 1. **D**avidis in Israhel regnum **CHRISTVS** non obtinuit, nec enim temporarius Iudææ Rex fuit, cæteræ verò tribus in dispersione manerunt. Regnum igitur Davidis obtinere di-

cutur, quia Davidis regnum temporale, **CHRIS-
TUS** regi, quod in totum terrarum orbem pro-
tenditur, est figura. **CHRISTVS** typus ipse Da-
uid, quare etiam David ipse vocatur. Ipse enim con-
stitutus est Rex super montem sanctum eius.

Obiicit Arrianus. *Deus illi dabit; non ergo natura ha-
buit, qui accepit, non ergo Deus est.*

Respondeo. Quosdam interpretari, dedisse, quia declarauit eum Regem esse, sed rectius dicitur, accepisse secundum humanam naturam non di-
uinam.

Qua de alio loco ex S. Athanasio, aliisque patribus disputauit.

QVÆSTIO II.

An idem Deus & homo?

§. 1. **N**estorium Angeli verbis refutarunt antiqui Patres. Hic enim idem est qui dicitur altissimi filius, & qui de Virginis utero nascitur. Non ergo alius Dei Filius, alius Virginis, sed vnus idem, quæ, quod etiam clarius exponitur eum dicitur. *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.*

Filius ergo Dei, hoc est secunda persona in san-ctissima, de Beata Virgine nascitur, Deum ergo illa genuit, nec duæ sunt, in **CHRISTO** persone, nec **DEI** filius à Virginis filio distinctus est. Sed vnus idemque filius, & ipsa, non modo *generans*, sed etiam *generata*.

QVÆSTIO III.

Quamdiu & ubi regnabit?

§. 1. **N**ULLAM metam, nulla tempora poluit Imperium sine fine dedit. Regnum hoc *æter-
num* est æternum, de quo Danielis 3. Lapis enim ex mou-
te abscissus in hoc regnum creuit, de quo in libris *Re-
gum*, & in Daniele actum.

§. 2. In domo Iacob, non vna alteraue tribu, ut posteri Davidis. Nomine autem Iacob intelliguntur omnes tribus, ac consequenter orbis terrarum sic Apocalyp. septimo, vers. quinto. & vndecimo, quod decimo.

Præcipua autem regni maiestas in Ecclesia militante & triumphante refulcet. Hæc est enim domus Iacob, quem Deus dilexit.

QVÆSTIO IV.

*An quia filius altissimi est, sit etiam
Deus?*

§. 1. **E**adem verba ad **CHRISTI** astringendam di-
uinitatem orthodoxi, ad destruendam A-
riani vsurpant.

Orthodoxi primo statuunt, vocari esse idem, quod esse. Itaque capit. primo, vers. vigesimo sexto, & cap. quarto, vers. tertio. nec hoc solent Ariani negare plerique.

Deinde altissimum esse vnum ex nominibus Dei, quod Hebraicè dicitur *אלהים* *chalion*, & absolute pro Deo ponitur. Numer. vigesimo quarto, vers. decimo sexto. Deuteronom. cap. vigesimo secundo, vers. o-
ctauo. aliisque plurimis. Ethic quidem eum Ariani vobis conuenit. Dicunt tamen esse filium altissimi eo modo quo Prophetæ, & viri sancti, gratia & ad-
optatione.

A. vero